

quod temporis spatium pendere. Diuinae omnipotentiae illustrissimum opus hic ueluti in tabula ad uiuum depingit, in ipsa morte non mortuus sanctus Paulus. Quis nollet ipsius contemplationi paulisper immorari? Quis non admiratur artificem, qui rem usu fere obsoletam, et imaginem quandam illustrationis loco alias adhibitam, conuertit in ipsum resurrectionis argumentum? Quia enim hoc diuinae ueritatis oraculum cum resuscitatione granorum corporis humani resurrectionem comparauit, ideo necessaria argumentationis lege consequitur, eam quoque certissime futuram; sic omnino ex comparatione fit argumentum. A minori enim ad maius nunc argumentari licet: Si Deus, ut in prima creatione uoluit et decreuit, res minoris momenti, et saltem ad sustentationem hominis facientis sua omnipotentia ex terra quotannis reproducit, secundum promissionem suam, multo magis hoc praestando ipsi eius corpori, propter quod annuam illam *μεταμορφωσιν* instituit, decretum suum perficiet. Et non obscure diuinum hoc de resurrectione nostra decretum nobis reuelat. Sic illustratio in hoc apodicticum conuertitur argumentum. Quam certo semina terrae concredita quotannis redeunt; tam certo, imo multo certius, corpora terrae concredita aliquando reditura sunt. Cautioem huius ueritatis praestat una cum potentia Dei, eius in exsequendis decretis suis constantia et ueracitas. Hoc praecipue emblemate resurrectionis Spiritus S. delectari uidetur. Ipse dulcissimus Saluator comparat beatissimum suum corpus cum tritici grano, quod, nisi in terram cadat, non germinet, non fructificet. Sub hoc schemate Esaias mortuorum resuscitatio-

scitatio-